

B. h. II, 331.

f. 65, 1.

DE (X 187 7313)

IVREADCRESCENDI

II R
390

DISPUTATIO,

Quam

Deo adiuuante,

PRAESIDE

Viro Cl. & Consultissimo,

DN. IOANNE STVCKIO,

I. V. D. & Professore publico, nec non Dicasterij summi, quod est Guelpherbyti, Adsefore dignissimo, Praeceptore suo colendo,

Proponit

IACOBVS OTTO Ebel

Borussus,

Mense Septembri in Collegij noui auditorio maiori.



HELMAESTADI,

ETypographeio IACOBI LVCII.

MDCCXIV.





Serenissimo atq; potentissimo Principi
& Domino, Domino

IOANNI SIGISMUNDO,
SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-
CAMERARIO ET ELECTORI,
MARCHIONI BRANDENBURGENSI,
BORUSSIAE, IULIACENSIVM, CLIVEN-
SIVM, BERGENSIVM, SEDINORVM, PO-
MERANORVM, CASSUBIORVM, VVAN-
DALORVM, ET IN SILESIA CROSSEN-
SIVM DVCI,
BURGGRAVIO NORINBERGENSI,
RVGIAE PRINCIPI,
MARCHIAE, MEVRSIAE ET RAVENSPER-
GIAE COMITI,
AC
DYNASTAE RAVENSTEINENSI,

*Domino suo Clementissimo
humilimè*

O. & C.

IACOBVS OTTO, CASPARI
OTTONIS Ehels filius.



THESIS I.



Libri vel tituli de IURE-ACCRESCENDI in libris iuris nostri nulli certi sunt, neq; certo loco illud circumscriptum est, sed vbiq; ferè recurrit, vt maximè, vbi de eo principaliter quæritur, in materia vltimarum voluntatum. Ita de eo tractat Imp. in §. *si eadem res. 8. Instit. de legat. l. vnic. C. de caduc. tollend. & l. vnic. C. quand. non petent. part. petentib. accresc.* Et ICTi sunt circa illud passim in Digestis sub eadem materia, præcipuè in *l. item quod. 17. de heredib. instit. l. re coniuncti. 89. de legat. 3.* vnde desumpta est *l. triplici. 142. de verbor. signific.* Cùm verò etiam iure legati vel dispositionis alicuius aliùs vltimæ vsufructus obueniat, isq; diuiduus sit, & in vsufructu illud ius ideò locum sibi vendicet, fecit Tribonianus titulum ffitorum sub libro septimo singularem de vsufructu adcrecendo. meritò singularem, in vsufructu quippe speciale est, quod portio deficiens accrescat personæ non portioni. *l. si Titio. §. 1. de vsufr. l. interdum. 10. de vsufr. accresc. & l. 14. §. 1. de Except. rei iudicata.* Pertinebat verò ille titulus ad illum librum, quod illic de cæteris eius seruitutis, tùm confini seruitutum personalium cæterarum materia, ordo tractare Tribonianum iubebat. Sunt & loca, in quibus de iure accrescendi agitur, licet speciali iuris ratione id fiat, vt in *tit. C. si liberal. Imp. & in l. 4. C. ad SC. Tertyll. & alia plurima.* Verùm de quibus, ibidemq; de adductis singulis, suo in loco.

II. De iure accrescendi testimonio Petri Gregorij Tholoza-
ni in *Syntagm. iuris vniversi libr. 46. c. 9. n. 1.* Quæstio sanè perdifficilis est. Sunt in ea Mæandri fluxus & recessus plurimi, Gomezius *lib. 1. resolut. c. 10.* Materia est alta, subtilis & de apicibus iuris; VVesenbecius in *Paratit. ffitorum. de vsufr. accresc.* inexplicata Hottomannus *libr. 6. obseru. c. 12.* quâ nullatoto iure spinosior atq; perplexior, non tamen momentosà carens vtilitate; Vulteius in *§. fin. Instit. de donationib. vna ex difficillimis & subtilissimis iuris capitibus,* doctissi-

morum hominum ingenia mirificè torquens; Fachinæus *lib. 4. controuers. c. 98.* obscura, difficilis & maximi laboris; Hubertus Giphanius *in §. si eadem duobus. 8. Instit. de legat.* insignis, acuta, difficilis & toto ferè iure diffusa. Necessaria & fructuosa tamen: uti, quàm cum Bartolus tractaret Pisis, ad eum totius Italiæ scholasticos, veluti ad Apollinis oraculum, confluxisse testatur subtilissimus Corasius *in l. ex testamento. C. de impuber. & al. substit.*

III. Ego id faciam, quod principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo: ut quid illud sit, de quo disputatur, explanetur, ne vagari & errare cogatur oratio, si ij qui inter se dissentiunt, non idem esse illud, de quo agitur intelligant. Atqui & hinc magnorum dissensiones animum vacillare faciunt, cum neq; consentientibus suffragijs res definita sit, neq; habeamus cui tutò nos committamus. Confer Romulæum *ad d. l. re coniuncti. de legat. 3. n. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.* ubi varias huius iuris definitiones recenset.

IV. — Et definit ius-accrescendi aliter Ripa *in eadem l. re coniuncti. n. 3.* quem sequitur Angel. Mattheac. *tr. de legat. & fideicommiss. lib. 3. c. 1. n. 1.* Aliter Corasius *in d. l. testamento. n. 1. C. de impuber. & al. substitut.* Aliter Duarenus *libr. 1. de iure Accrescend. c. 1. in fine & c. 10. in pr.* & Vesenbecius *in paratit. ff. de usufruct. ad cresc.* Aliter Cuiacius *in tit. ff. cod. & tr. 5. ad African. in l. qui usum fructum. 36. §. usufructus serui. 2. ff. de usufr.* Aliter Vultei in *§. fin. Instit. de donat. n. 1. & 1. I. R. c. ult.* & Borcholdus *in §. 8. Instit. de legat.* Aliter Petrus Gregorius Tholozan. *in Syntagm. iur. vniuers. d. libr. 46. c. 11. n. 2.* Aliter Hieronymus Treutlerus *vol. 2. disp. 13. thes. 3. lit. a.* Aliter Philippus Massinius *in Rubric. C. quand. non petent. part. n. 78.* & aliter nouissimè Ioannes Sueuius *lib. 1. de iur. accresc. c. 4. p. 33.*

V. Est quod omnibus & singulis illorum definitionibus, ne iustæ dici queant, opponitur, iuxta illud Philosophi: *ἔστι γὰρ τὸ μὴ καλῶς, μέγλη δύο. ἐν, ἢ τὸ ἀσαφεῖ τῆ ἐρμηνεία κεχρηῆσθαι. διότερον δὲ, εἰ ἐπὶ πλεῖον εἶρηκετ' λόγον ἢ δέοντ.* *6. topicor. c. 1. in fine.* Obscuræ enim sunt, & superflua continent; Et genere declarantur remotiori vel planè alieno, vel etiam omnino illo destituuntur, & declarantur proprietate, è qua vel natura iuris-accrescendi non satis elucet, vel elucet falsa, vel quæ est eiusmodi, ut ex illa quid iuri-accrescendi præ alijs proprium sit, non appareat. Demonstrabitur suo tempore.

VI. Mihi

VI. Mihi est modus acquirendi domini iuris ciuili, quo pars vacans, mediante coniunctione, cedit & accrescit parti occupatæ.

VII. Videndum de definito, tum de definitione. Cùm enim definitio sit oratio, quæ declarat, πὶ δὲ sequitur, inquit Philosophus 2. *Analyticor. posterior. c. 10.* vt etiam sit oratio demonstrans, quid nomen significet, aut λόγος ἕτερος ὀνοματώδης, i. e. altera oratio nomen explicans.

VIII. Est autem ius-accrescendi verbum duplex, non simplex, constans & simplici & verbo composito. Et ius pluribus quidem modis dicitur. *l. ius pluribus. 11. cum seq. de l. & I.* hinc verò simili ratione, qua ius hæredis sui, *l. 1. §. vlt. de liber. agnosc. iura prædiorum, tit. Instit. de Reb. corporalib. & incorporalib. in fin.* ius aureorum annulorum *tit. ff. de iure aureor. annulor.* ius togæ *Plinio lib. Epistolar. 3.* & iura similia iura dicuntur, ius dicitur ius-accrescendi. Neq; aliâ ratione, quàm quâ actio dicitur ius persequendi in iudicio &c. *in pr. Instit. de Actionib.* bonorum possessio ius persequendi retinendiue patrimonij &c. *in l. 3. §. 2. de bonor. poss.* Et vt propiùs accedam, quâ ratione incrementum latens, quod definit *Imp. in §. præterea Instit. de Rer. diuis. & ICTus in l. adeo. 7. §. 1. de Acquir. rer. domin.* dicitur ius alluionis. Confer. *l. si Titio. 33. §. 1. ff. de usufr. l. patri. 59. de Acquiren. heredit. l. 3. §. vlt. de Bonor. possess.*

IX. Accrescere siue Adcrescere verbum ex ad & cresco compositum constat, vnius vulgò significationis cum suo simplici crescere. Vnde & Accretionem & Accrementum, pro incremento siue actu adcrescendi dixit *Plinius lib. 9. c. 2.* & *Tullius 1. Tusculanar. 106. lunamq; accretione & diminutione luminis quasi fastorum notantem & significantem dies.* Licet pro dare vel addere eodem verbo vsus sit *Venusinus:*

Syllaba longa breui subiecta vocatur Iambus

Pes citus, unde etiam trimetris adcrecere iussit

Nomen Iambis.

in arte Poëtic. 52.

ICTis adcrecere est nihil aliud, quàm prout eius verbi simplicia fonant. Vt Accrescere dicatur quæcunq; res accedit atq; iungitur alteri

alteri argt. l. ergo. 30. pr. & l. insula. 56. ff. de Acquirend. rer. domin. Con-
stit. tanta circa nos. §. fin. de confirmat. Digestor. & l. interdum. 13. §. 2. &
3. de heredib. instituend.

X. Et ius-accrecendi igitur dixerunt hoc ius præsens, quod
eius vi pars vacans, deficiens in vno heredum vel legatariorum ac-
cedat alteri. l. si ex pluribus. 9. ff. de suis & legitimis. & l. si duobus. 12. de
Bonor. possess. contra tab. Quæ vera illius iuris est notatio Duar. libr. 1.
hic. c. 1. circa finem. Hottom. in comment. verbi iur. verb. Adcrefcere.

XI. Omnino verò improbanda illa Donelli, 7. commentar. c. 12.
in pr. inde illud dictum esse, quod eius virtute portio alteri iuncta,
faciat vt & ipsa crescat cum ea, cui adiungitur, & præterea illa quo-
que, cui accedit, huius accessione.

XII. Neq; non succensendum Massinio in Rubric. C. quan. non
petent. part. & c. n. 5. Iuris-Adcrecendi nominis rationem ponenti,
quod illius virtute pars hereditatis, vel bonorum possessionis, quæ
deficit in vno ex pluribus heredibus vel bonorum possessoribus
accrescat alteri: atq; iniuriã adferenti ita docuisse Duarenum.

XIII. Eandem de verbo iuris-non-decrecendi inito ratio-
nem, verùm de quo infra sub diuisione. Hoc notandum: Legata-
riorum in præcedd. cum dixerim, me intelligere simul fideicom-
missariorum, arg. l. quidam relegatus. 5. pr. §. 1. cum seq. l. 7. ff. de Reb.
dub. & præterquam quod hodie legata & fideicommissa per om-
nia, & in omnibus sint adæquata. §. 2. Instit. de legat. t. t. C. comm.
de legat. & fideicommiss.

XIV. Cæterum modus acquirendi dominij est ius-accre-
cendi; quod sicuti modo ostensum ad similitudinem alluionis
rem nostram faciat crescere, vel saltem vt non decrescat. l. si Titio.
33. §. 1. in fin. ff. de usufr. Alluionem autem modum acquirendi do-
minij esse, neq; illi iuris auditores, quos Iustinianus in tit. de con-
cept. Digestor. vocat dupondios, & alij diobolares interpretantur,
Hottom. in commentar. verbor. iur. in verb. Dupondij. Cuiac. 12. obseru.
c. vlt. non nouerunt. iunge §. præterea. 20. Instit. de Rer. diuis. & l. adeo
7. §. 1. de acquir. rer. domin.

XV. Est quoq; modus acquirendi iuris ciuilis, & quod iu-
rigentium planè incognitum sit, & quod ipse Imp. illud modis ac-
quirendi iuris ciuilis expressè annumerarit, in §. fin. Instit. de dona-
tionib.

tionib. & quod ratio eius iuris constituti, iura videlicet neminem pati decedere pro parte testatum, *l. 7. de Reg. Iur.* & nemini eiusdem hereditatis partem agnoscere, partem verò respuere licere, *l. unic. §. his ita. C. de caduc. tollend.* ex medio iure desumpta sit.

XVI. In reliquis definitionis verbis ipsa specifica differentia iuris-accrecendi, quâ à cæteris modis dominij acquirendi iuris ciuilis differt, proponitur. Vt rectè concludam:

XVII. Primò, partem semel occupatam, si postea repudietur aut amittatur, non accrescere coniuncto, sed aut ad heredes occupantis, si qui sunt, transire, aut cedere fisco, aut tanquam pro derelicta habitam concedi occupanti. *l. 1. §. interdum. ff. de usufr. Accresc. argt. l. post aditam. C. de impuber. & al. substitut. Duar. hoc tract. libr. 1. c. ultimo.*

XVIII. Secundò, ius accrescendi nullum esse, nisi inter coniunctos, vel hominis vel legis dispositione. *l. cum singulis. 11. ff. de usufr. accresc. l. 1. in pr. l. si ex pluribus. ff. de suis & legitim. d. l. unic. §. 10. & seqq. C. de caduc. tollend. Br. in d. l. re coniuncti. n. 25. de legat. 3.*

XIX. Tertiò, modum acquirendi, quo pars vacans mediante coniunctione cedit & accrescit parti occupatæ esse, ius-accrecendi, & quicquid ita vi & medio coniunctionis obuenit, obuenire iure-accrecendi, licet verò & alio iure portio portioni accedat, id tamen iure-accrecendi fieri minimè iure dici.

XX. Nullum proinde in dispositionibus inter viuos esse ius-accrecendi, Nullum in contractibus, Nullum in rebus indiuiduis, & quæ partem non recipiunt, & Nullum esse quod sequatur personam magis, quàm rem vel partes ipsas.

XXI. Immò interdum pars vsusfructus adita etiam non habenti partem suam, sed amittenti accrescit. *l. interdum. 10. de usufr. adcrec.*

XXII. Res, quæ multos mouit, & veteres, vt planè in hoc iure finiendo substiterint, quomodo neminem illud finire conqueritur Coraf. *in d. l. testamento. nu. 1. C. de impuber. & al. substit.* nouiores verò & hodiernos iuris interpretes, & celeberrimum Cuiacium, vt neq; personæ neq; rei, cui accrescat, in sua definitione meminerint; Duarenum & VVesenbecium, vt definierint ius-accrecendi accretione, quæ fiat personæ non rei, & Petrum Gregorium Tholozan.

lozan. vt æquè personæ acrei per illud accrescere dixerit.
XXIII. Distinguendum inter proprietatem & vsumfructum, ratione quam eius suæ distinctionis subdit ipse Vlpianus *in l. 1. §. 3. ff. de usufr. Accresc.* Vsumfructus videlicet quoad tempus illud quo alteri accrescit, verè occupatus dici non potest, constitutus tamen rectè dicitur, quoad sui ipsius existentiam, vt quoad vnus coniunctorum supererit omnino duret, Ast acquisitus solùm & amissus dicitur eo respectu, quod percepta lucretur, qui eum amisit, percipienda verò sequantur alterum. Diuersum est in proprietate, quæ eo tempore solùm constituitur, quo vindicatur *d. l. 1. §. 3.* Vt ideoq; rerum natura diuersa nihilominus definitionem nostram confirmet, nullum esse ius accrescendi, quo pars occupata accrescat parti occupatæ.

XXIV. Non placent, quæ de prisca subtilitate circa vsumfructum ad hunc locum disputat Duarenus *hoc tr. lib. 1. c. 21.*

XXV. Quod ad alterum: verum est interdum & eo casu quo pars apud vsumfructuarium amplius non est, partem sequi illius personam, *l. 33. §. 1. ff. de usufr. l. 10. de usufr. accresc. l. 14. §. 1. de Except. rei iudicate.* Sed cum id specialiter eo in casu in vsumfructu, vti iure personali, receptum sit, regula stat in contrarium & firmatur in casibus non exceptis. *l. 1. de Reg. iur. vbi Dd.* Neq; quæ raro obueniunt, regulam informare poterunt.

XXVI. Quis verò inconueniens dixerit, definire rem ex his quæ ἴπὶ τὸ πλείστον, vt plurimum non quæ ἐκ ἀναλόγου, ex inopinato accidunt. Cum quod semel aut bis existit, & ipsi legumlatores præterierint. *l. 3. 4. 5. 6. vbi interpp. de ll.*

XXVII. Neq; possum tamen consentire indistinctè illud in vsumfructu admittentibus. Confer Cuiac. *9. obseruat. c. 11.*

XXVIII. Et non immeritò peregrina videtur illatio quorundam ex particula interdum *d. l. 10.* Illam videlicet certam eo in loco denotare speciem, quæ in ius accrescendi veniat, nempe vsumfructum. Vt is existimetur esse sensus Icti, interdum accrescere partem personæ, interdum parti siue portioni. v. I. Sueuium *hoc tr. c. 4.*

XXIX. Neq; ipse Sueuius placet asserens ibid. ius accrescendi non ex natura vsumfructus, sed potius hunc ex natura iuris accrescendi, cuius ille hoc casu materia est, æstimandum esse. Sanè obiecta

iecta neq; æstimanda sunt ex natura rei cui subijciuntur, neq; hæc ex illis. Sed illa sint eiusmodi sufficit, vt de sese inuicem prædicari queant, licet naturam suam in reliquis saluam retineant. Quâ ratione factum vt & usufructui & iuri accrescendi, vtriq; suum ICTi voluerint esse saluum.

XXX. Ius accrescendi videlicet vniforme esse animal, neq; plures formas nobis exhibere. Consequens est: Ius-acrescendi vnicum esse, nullum personale omne reale. Nisi illud personale dixeris, quod obtinet in usufructu cùm is apud vsumfructuarium amplius non sit. *dd. textib. iunct. l. si quis vnus. 32. ff. de usufr.* Cùm tamen, quæ per accidens in usufructu specialiter speciali in casu recepta sint, in consequentiam nullo modo trahenda sint.

XXXI. Nulla namq; differentia est in eorum numero, quæ per accidens insunt, quemadmodum nec genus: quia fieri nequit, vt differentia eidem insit & non insit. Philosophus *6. topic. c. 6. n. 12.*

XXXII. Non admittit institutum, quàm variè ius accrescendi diuidat & subdiuidat Malsinius *in rubric. C. quand. non petent. part. à n. 2. vsq; ad 25.* hîc recensere; Partes tamen illius tenentes, licet id alio loco reliquerim, audire maximè desidero.

XXXIII. Diuidit illud *ibid. n. 80.* in ciuile & prætorium. Ciuile vocat quod obtinet in hereditatibus, Prætorium quod in bonorum possessionibus. Vtrumq; sit iterum duplex, quoddam ab intestato, quoddam ex testamento; & vtrumq; item aut de vniuersitate ad rem certam, aut de quota ad quotam.

XXXIV. Ita vt nihil contra opponendum existimem. Neque enim specie differre dici possunt, quæ inter se adhibitâ differentiâ non discernenda. de cæteris alibi.

XXXV. Petrus Gregotius Tholozanus *in Syntagm. libr. 46. c. 11. n. 2.* ius-acrescendi facit aliud quod nomen generis retineat & dicatur ius-acrescendi in specie, aliud quod dicatur, ius-non-acrescendi. vel vt Iason vult *in l. re coniuncti. de legat. 3. n. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.* ius-non-diminuendi vel ius-obtinendi totum. Illud definitione generis mittit; hoc verò esse ius, quo portio non acceptata à coniuncto per concursum, remaneat apud coniunctum aliam portionem habentem. *l. vnic. §. vbi autem versic. sin vero. C. de caduc. toll.*

XXXVI. Venientibus iure-acrescendi inuitis non accrescere

B

por-

portionem delatam deficientis collegatarij, (de legatis enim quaestio est, an portiones accrescant inuitis, an verò non nisi volentibus, coheredibus a. accrescunt inuitis semper) *d. l. vnic. §. ubi autem versic. sin vero. l. si minor viginti de Acquir. heredit.* Contrà si veniant per ius-non-decrescendi *l. neminem. de legat. 2.*

XXXVII. Venientes per ius-accrecendi tenere subire onus delatæ portionis, *d. l. vnic. §. pro secundo.* non etiam qui iure-non-decrescendi eam nanciscuntur. *ead. l. vnic. §. ubi autem versic. sin.*

XXXVIII. Ius-accrecendi habere locum inter re coniunctos in usufructu; ius verò non decrescendi inter re & mixtim coniunctos in proprietate; & illos, inter quos ius accrescendi obtineat vocari disiunctos, cæteros verò coniunctos.

XXXIX. Tritum hoc, ut inquit Duarenus *hoc tr. c. 11. in init. & peruulgatum apud nostros interpretes iuris-accrecendi & iuris-non-decrescendi est discrimen.* de quo latius apud Bartol. *in l. re coniuncti. de legat. 3. n. 21. 22. 23. & 24.* Bolognet. *n. 229.* Vult. *in §. fin. Instit. de donat. n. 7. & Iason. n. 2. 3. 4. & 5.*

XL. Mihi in tantum ius-accrecendi & ius-non-decrescendi eadem videntur, ut quod respiciendo ad partes naturales non decrescere dixit Imp. *in d. l. vnic.* illud respiciendo ad partes ciuiles, siue intentionem disponentis, rectè accrescere dicam. Et è contrario, sicuti verbis solùm coniunctis habitâ ratione partium naturalium, accrescere dixit Imp. *d. loco;* ita quoad partes logicas siue mentem disponentis rectè dicam, illis non decrescere.

XLI. Sicuti enim partes naturales in coniunctione verbali ab initio expressæ fiunt, ita eadem in reali & mixta semper censentur factæ tacitæ. *text. clar. l. planè. 34. §. si coniunctim. 9. de legat. 1.*

XLII. Neq; aliud interest inter coniunctos re & coniunctos verbis, quod illi ex verbis testatoris habeant solidum, sed partes ex interpretatione voluntatis; Contrà verbis coniuncti ex verbis partes, & ex voluntate testatoris solidum.

XLIII. Vtriq; igitur non magis coniuncti quàm disiuncti, nec magis disiuncti quàm coniuncti dici possunt. *v. infra.* ut iniuriâ ex hoc capite distinxerit inter ius-accrecendi & non-decrescendi, Tholozanus *modo d. loco.*

XLIV. Et iniuriâ, per cætera *ibid.* recensita ius-accrecendi &

ius-non-decrescendi distinguit; cum eadem non diuersitati iurium, sed si obtinent, vti ille putat, debeantur diuersitati coniunctionum. v. in seqq.

XLV. Et si distinctio illa inter ius-accrecendi & ius-non-decrescendi vera est: per omnia tamen nõ procedit, quod Tholozanus allegato loco in usufructu re coniunctis indistinctè accrescere tradit. Cum eã attenta distinctione non aliter accrescere dici possit pars usufructus coniuncto quàm si adita illa sit. Quæ verò nondum occupata, sequitur naturam iuris communis, vt potius per hoc occupanti dicatur nihil decrescere, quàm aliquid accrescere.

XLVI. Est ius accrescendi ex eodem iure quo hereditates non quidem primùm deberi incœperunt, sed ex ea parte iuris ciuilis quæ parti. *l. 12. tabularum*, quod vti quis legasset ita ius esto, Confer Sigon. *de antiq. iure ciui. Roman. c. 12.* & alij legitimas hereditates inducenti, v. *l. 1. ff. si tab. test. nulla extab. eam addidit interpretationem*, ne quis testatò & intestatò simul decederet. *l. 7. ff. de Reg. iur. ne uè alicui liceret hereditatem pro parte adire, pro parte respuere d. l. vnic. §. 10. C. de caduc. tollend. l. quidam. 20. in fin. C. de iure deliber. l. 1. & l. cum hereditate. de Acquir. heredit. l. 6. C. de impuber. & al. substitut. & iunge l. 5. ff. de vulgar. & pupill. substit. l. Celsus. §. vlt. de legat. 2. l. 1. §. si nemo ad SC. Trebell. l. pen. & vlt. de Reg. Caton. Rebuff. in l. triplici de V. S. col. 8. vers. habita elucidatione. Bologn. in l. vnic. C. qn. non petent. part. n. 8. & Bald. nu. 33. Duaren. hoc tr. lib. 1. c. 1. Romul. libr. singul. eod. n. 78. 91. Cæsar. Costam. libr. 1. var. antiquitat. c. 10. qui tamen vtrum ex ipsa l. XII. tabular. vtrum verò ex media iurisprudencia hoc ius introductum sit, inter se dissentire videntur.*

XLVII. Sed & postea ex simili ratione vtiliter in successibus prætorijs receptum est. *l. 3. §. vltim. de bonor. possess. & d. l. vnic. C. qn. non petent. part.* Ideò verò non magis rectè aliud prætorium aliud ciuile, vti Massinius suprà faciebat, dixeris, quàm si, quæ obtinent in hereditatibus, eadem etiam quia obtineant in bonorum possessionibus, dixeris esse alia ciuilia, & alia prætoria.

XLVIII. Accursius Cagnolus ad *d. l. vnic.* cum Dd. communiter ius-accrecendi æquè ex dispositione hominis esse volunt, ac

est ex dispositione legis: Verùm quibus respondet Iacob. Anellus de Bott. *ibidem* n. 11. & seqq.

XLIX. Hoc tamen hominis dispositioni tribuendum, quod sicuti in causa intestati nisi ex legis coniunctione, ita neq; in causa testati nisi sint, qui coniuncti fuerint, obtineat.

L. Coniunctio enim vt causa operatur ius-accrescendi, arg. §. *si eadem*. 8. *Instit. de legat.* & planè disiunctis accrescit nihil. *l. cum singulis*. 11. ff. *de usufr. & adcresc.* dictum supra in definitione.

LI. Admittunt hoc in legatis, in institutione verò aliter esse Bartolus in *d. l. re coniuncti*. n. 25. *de legat.* 3. & Costal. in *l. 1. de usufr. adcresc.* in qua etiam ius accrescendi detur planè disiunctis & separatis.

LII. Neq; non sunt qui quod obtinet in successione ab intestato, vt pars repudiantis vel abstinentis alteri obueniatur, non tam fieri ex legali quadam coniunctione dicunt, quàm ex natura ipsius successione, quæ est vt successio legitima semper deferatur saluâ gradus prærogatiuâ. *Auth. defuncto. C. ad SC. Tertyll. Auth. post fratres. C. de legitim. heredit.*

LIII. Quoad hoc equidem natura successorij Edicti eiusmodi est, *tit. 1. ff. & C. de successor. Edicto.* Cæterum quod portio vacans etiam inuitis adcreseat, non eo iure fieri dici potest, quo non nisi petenti adcreseat. Illud verò operatur coniunctio, de qua in præsentia, legalis munita ratione iuris, quod inciuile sit partem hereditatis adire, partem respuere. *d. l. vnic. §. 10. C. de caduc. tollend.*

LIV. Inciuile etiam est testatorem pro parte testatum decedere, pro parte intestatum. *l. 7. de Reg. iur.* Vt, non mirum sit, quoq; separatim institutis accrescere, & illos licet hominis voluntate disiuncti sint, iuris tamen quâdam necessitate haberi pro coniunctis. *l. liber homo. 59. §. cum quis ex institutis. 3. & l. heredes. 63. ff. de heredib. instit.*

LV. Vt apertius & magis perspicuè hæc tradantur. Coniunctio, cuius effectus est ius-accrescendi, est duplex: Legalis vna, hominis altera.

LVI. Illa ex voluntate legis fit, §. *si plures Instit. de legitim. agnat. success.* & obtinet vt plurimum in successione legitima, *l. ex suis. ff. de suis & legitim. l. 3. in fin. de bonor. possess. l. si duor. & l. cuius. 53. ff. de Acquirend.*

quirend. heredit. Bart. add. l. re coniuncti. n. 17. Gouean. hoc tr. nu. 22. Gomez. 1. resolut. c. 10. n. 28. quoties videlicet plures à lege ciuili vel prætoria simul ad eandem rem & coniunctim vocantur. Ioh. del. Castillo tr. de vsufr. c. 48. n. 31. Coniungit tamen quoq; sæpissimè, idq; iuris quâdam necessitate, hominis voluntate disiunctos, vti quando ex persona vnus instituti peruenitur ad alios ex legis dispositione. dictum in præcedd.

LVII. Per illos ad quos peruenitur, intellige siue & illi in testamento separatim heredes nominati sint, siue planè ab intestato veniant.

LVIII. Ex persona vnus instituti dixi: In legatis enim, cessante legis necessitate, de qua in præcedd. illa coniunctio ius-accrescendi operari non potest, nisi legatus sit vsusfructus, in quo legis voluntate plures coniungantur, quo casu obtinet, ius personale sequi personas.

LIX. Vt verissimè Iulianus: si communi seruo vsusfructus sit relictus & utriq; domino acquisitus: altero repudiante vel amittente vsusfructum alter totum habebit. l. 1. §. 1. de vsufr. adcresec. secus esset in legato proprietatis. Iunge Duaren. hoc tr. libr. 1. c. 13. Gomez. d. c. 10. nu. 28. 39. & 40.

LX. Coniunctionis, quæ hominis voluntate fit, consideratio aliquo modo perplexior est. Hominis autem cum dicitur, legis voluntatem ne excludas caue sis, cum nec dispositio, nec tutela testamentaria legis voluntate destituantur. Et ita dispositioni hominis hîc præcipua tribuimus, ne sua legi detrahamus. l. Nemo potest. 55. de legat. 1. Nouell. 22. in pr.

LXI. Sunt qui coniunctim heredes instituere dicunt esse, totam hereditatem & tota legata singulis dare.

LXII. Sunt etiam qui coniunctos definiunt quibus eadem res seu species, in eodem testamento, eodem successionis genere relinquatur per §. si eadem. 8. Instit. de legat. l. coniunctim. 80. ff. de legat. 3. l. huiusmodi. 84. §. quibus. l. si duobus de legat. 1. d. l. vnic. §. his ita cum seq. C. de caduc. tollend. Gædd. in l. triplici. 122. de verb. sign. n. 2.

LXIII. Sunt qui omnem coniunctionem, siue heredum siue legatariorum sit, hisce requisitis circumscribunt: Primò, vt plures sint instituti, vel vt pluribus idem legatum sit relictum; d. §. si eadem

l. de legat. Secundò vt heredes vel legatarij eodem testamento vocati sint. Ex diuersis enim testamentis coniunctionem non contingere; *l. si sub conditione. 16. ff. Quibus mod. usufr. amitt. & Tertiò vt heredes vocentur ad eandem rem, non ad diuersam. l. 2. ff. eod. l. huiusmodi. 84. §. quibus de legat. 1.*

LXIV. An iure vel iniuriã ita; alibi latius. Mihi coniunctio hæc prout instituti vel legatarij vel in re solùm, vel verbis solùm vel re & verbis simul iunguntur, triplex est: realis, verbalis & mixta. *l. triplici. de verb. significat. & l. re coniuncti. vbi Dd. Br. Iason. Ripa. Duar. d. tr. lib. 1. c. 6. Gou. n. 4. Fumæus de coniunctionibus.*

LXV. Re coniunctos dico, qui ad eandem siue hereditatem vt heredes, siue rem vt legatarij, disiunctim siue diuersis orationibus vocantur, vt in heredibus: *primus heres esto, secundus heres esto. in legatarijs: Titio Stichum do lego, Menio eundem Stichum do lego. d. §. 8. Instit. de legat. Donell. 7. comm. c. 13.*

LXVI. Quæ quidem res cùm antiquitùs duobus separatim idem per damnationem, siue per vindicationem, relinqueretur, aliter se habuit. *Vlpian. tit. 24. §. si duobus. 11. & §. seq. 12. & l. si pluribus. 33. ff. de legat. 1. at hodie in eandem rem coniuncti intelliguntur nisi manifestissimè apparuerit testatorem voluisse singulis solidum præstari. l. vnic. §. sin autem distinctim. C. de caduc. tollend.*

LXVII. Dubia est formula: *Titio fundum & eundem fundum Sempronio do lego, vel instituo Sempronium in semisse & in eodem semisse quo institui Sempronium Titium instituo?* Mihi quandoq; verba illa relata appareant sub commemoratione primi ad ius ipsum hereditarium, coniuncti illi omnino sunt, quod latius tradidit *Romul. de iur. accresc. nu. 31. & 35. diuersum verò statuo iuxta formulam: lego Sempronio quod Caio legauit, vbi commemoratio primi ad partem instituti refertur. §. vlt. Instit. de Adempt. legator. iunge l. plane. 34. pr. de legat. 1.*

LXVIII. Verbis Coniunctos definitio, qui eadem oratione ad diuersas partes vocantur, veluti: *Titius & Menius ex aequis partibus heredes mihi sunt; Titio & Seio fundum illum ex aequis partibus do lego.* Br. & Dd. *in d. l. re coniuncti. Gou. hoc tr. n. 14.* Et verbis coniunctos; quandoq; non videantur coniuncti in re tanquam in toto, cuiuslibet enim sua portio est relicta.

LXIX. Non placet VVesenbecius *in paratit. ffior. de usufr. ad-
cresc. re separatos eos vocans, quasi partes non corpore sed intel-
lectu diuisas illis relictas esse appareat. Cùm hoc quidem in reali
coniunctione, ad hoc ut locus ad crescendi iuri sit verissimum, d. l.
planè. §. si coniunctim. 9. de legat. 1. In verbali verò, quæ corpore diui-
sæ, intellectu coniunctim relictæ vel obuenire censeantur. l. si duo-
bus. 16. §. si Titio. 2. de legat. 1. verè & eleg. Duaren. hoc tr. lib. 1. c. 11.*

LXX. Neq; placet ideoq; per omnia Vulteius *in §. finali Instit.
de donat. n. 6. & intellectu & corpore cuiuslibet verbis coniunctorum
portionem suam datam censerit. Cùm illud solùm obtineat in casu
ita coniunctorum concurrentium.*

LXXI. Mouetur *l. huiusmodi. 84. §. quibus ita. 12. de legat. 1. & per
illum textum, verbis coniunctos, nisi & re ipsâ coniuncti sint,
communiter non esse.*

LXXII. Duarenus quidem *hic lib. 1. c. 6. coniunctos & disiun-
ctos re, duplici sensu accipi posse arbitratur, & verbis coniunctos
re disiunctos dici, non quod res eadem illis non legetur, sed quia
testator rem in partes diuidat. quod etiam probare videntur Baro
in §. si eadem. 8. Instit. de legat. & Cuiac. tr. ad African. 5. in l. qui usum-
fructum. 36. §. usufr. de usufr.*

LXXIII. Quæ si ita sunt, leuiter solum verbis coniunctos &
mixtim coniunctis distare, in aperto est. Quid si dicamus, licet in
eo textu coniuncti non in eundem seruum concurrant, eos tamen
concurrere in ipso legato seruorum, ac speciem eiusdem textus
sequentem opponi non concursui ita coniunctorum in legato,
sed concursui in alterutro seruorum, quem dicit Ictus subesse
nullum.

LXXIV. Atq; hinc constat quàm verè nouiter quidam con-
iunctionem definierit duorum pluriumue ad eandem rem eodem-
que successionis genere conuocationem.

LXXV. Quàm verè item dixerit Massinius *in rubr. C. qn. non pe-
tent. part. n. 76. in hereditatibus semper dari rei coniunctionem.*

LXXVI. Mixtim *hoc est re & verbis simul coniunctos dico, qui
ad eandem siue rem siue totam siue partem, simul ac coniunctim
vocantur. quod fit formulis: Titius & Mauius ex parte dimidia he-
redes sunt, Titio & Mauius Stichum do lego. d. l. re coniuncti.*

77. Etenim

LXXVII. Etenim & hęc posteriori formulā mixtam coniunctionem constitui nullum dubium est. *d. l. triplici de verb. signif. d. §. 8. Instit. de legat.* Licet aliqui dissentiant, contra quos verè Br. Iason. *in ista l. re coniuncti. Zas. lib. 1. singul. resp. c. 18. Gædd. in d. l. triplici.*

LXXVIII. Miror, quid mouerit aliquos vt voluerint post Zafium *d. loco. n. 3. & seqq.* hanc speciem plus participare oportere de verbis-coniunctis quàm de re-coniunctis. Cùm sicuti realis verborum, ita verbalis abhorreat nexum rerum: mixta vero vtraque coniungat.

LXXIX. Neq; verò hęc res amplius è natura simplicium, sed eorundem commixtione definienda est. ac licet pars rei aliqua nobilior esse possit, illa tamen non magis ad constitutionem totius facit quàm ceteræ quælibet.

LXXX. Neq; minus realis coniunctio verbali communicat, quàm hęc reali. Vtraq; enim cùm sola sit, alteram à se propellat necesse est.

LXXXI. Adeoq; ex prædictis facilè constabit de coniunctionum harum differentia. Tùm quâ ratione verbis solum, re etiam solum coniuncti, cùm videlicet talis coniunctio non sit inter ita coniunctos qualis est in coniunctione mixta, ad differentiam hoc modo coniunctorum, disiuncti sæpissimè dicantur, *l. vnic. §. his ita. C. de caduc. tollend. l. 1. §. interdum de usufr. ad cresc. d. §. 8. Instit. de legat.* atq; quoties simpliciter coniuncti fit in iure mentio, intelligatur propter excellentiam qui re & verbis simul coniunctus est. *d. l. re coniuncti d. l. triplici. vbi Gædd. n. 11. de V. S. Borchold. & VVesenebec. in d. §. 8. de legat.*

LXXXII. Orationis & sermonis genere hęc coniunctiones fiunt variè, ac varij triplicis eius coniunctionis casus obueniunt, sed de quibus apud Romul. *hoc tr. Fumæum de coniunctionibus.* Br. & Dd. comm. *in d. l. re coniuncti. de legat. 3. Zas. 1. intellect. singul. c. 18. & 19.*

LXXXIII. Hoc constat, in qualibet coniunctione requiri duo: in mixta, coniunctio in re & verbis simul; in verbali, vt conueniat cum mixta, quoad verba, non autem quoad res, hoc enim differt à reali; & in reali vt conueniat cum mixta quoad res, sed non quoad verba, hoc enim discernitur à coniunctione reali. Coniunctio verò realis & mixta in eo conueniunt, quod ita coniuncti habeant partes

partes intellectu non corpore, verbalis in eo ab vtraque differt.

LXXXIV. Vnius coniunctio non est. illæ itaq; coniunctiones non nisi inter plures & quidem in partibus exerceri ritè possunt.

LXXXV. Plures intellige etiam duos. Pluralitas enim in duobus verificatur. arg. l. ubi numerus. ff. de ll.

LXXXVI. De partium necessitate apparet, quod ius-adcre-
scendi potissimum in re ipsa se exerat, totius verò nulla sit con-
iunctio, & accretio siue augmentum solarum partium. l. 3. l. inter-
dum. 10. ff. de vsufr. adcresc. l. vnic. §. 16. C. de caduc. tollend. l. si Titio. ff.
de vsufr. l. 17. de heredib. instit. l. hac scriptura. ff. de condit. & demonstrat.

LXXXVII. Totum cum dicimus rem intelligimus, quæ suã
natura diuisionem in partes admittit. Quod Br. in d. l. re coniuncti.
Coras. in l. testamento. n. 25. C. de Impuber. & al. substit. & Dd. cõmuni-
ter triplex constituunt: Totum vniuersale, ac eius partes prædica-
mentales seu subiectiuas; Totum integrale, eiusq; partes similiter
integrales & quotitativas, & Totum numerale, cuius partes dicunt
numeros inferiores. Vnde & variæ & diuersæ rerum diuisiones
existunt, de quibus latissimè apud Dassel. tract. de diuid. & indiuid.
n. 6. & seqq.

LXXXVIII. Vtilitas rei insignis est: neq; enim partes esse pos-
sunt generis aliùs, quàm cuius totum est. & si pars non sit prædica-
mentalis (ita enim loquuntur) vel integralis vel quotitatiua pars
necessaria totius dici non potest.

LXXXIX. Vt verè Corasius d. loco, si vni fundus, alteri vsuf-
fructus legatus sit, legatarios illos coniunctos dici non posse asse-
ruerit. l. & per iusiurandum. §. illud de Acceptilat. & l. rectè dicimus. ff.
de verb. significat.

XC. Neq; rei pars accidentalis, cùm nihil reuerã ad totius cau-
sam faciat, circa ius-adcrescendi magnoperè attendi potest. Idem
ibid. n. 24.

XCI. In præsentiarum partes constituimus duplices, naturales
& ciuiles, siue Physicas & Logicas. Naturales siue Physicæ sunt,
quando ipso facto totum in partes diuiditur & dissecatur; Ciuiles,
quæ in mente & intellectu consistunt. Proinde illæ expressæ, hæ ta-
citæ haud iniuriã dicuntur, deq; illis constat ex l. vnic. §. 11. l. 3. ff. de
vsufr. adcresc. in pr. de his ex l. 1. §. interdum eod. l. hac scriptura. 26. §. 1.
C & l.

& *l. si separatim. 30. ff. de Condit. & demonstrat.* notato in textibus illis verbo iuris-adcrefcendi, ad quod verò non sunt coniuncti, qui sine partibus instituuntur. *l. 17. §. 1. de heredib. instit.* Confer Ripam ad *d. l. re coniuncti. n. 74. Iaf. n. 88. Duar. hic libr. 1. c. 11. Gomez. tom. 1. resol. c. 10. n. 4.*

XCII. Obtinent & fiunt partes illæ pro natura cuiuscunq; conjunctionis, & quoad mixtam & realem & ab initio & concursu simul.

XCIII. Ab initio Logicæ ex tacita voluntate testatoris; *l. planè. 34. §. si coniunctim. 9. l. 84. §. si Titio, l. 16. §. 1. de legat. 1. l. 7. de legat. 2.* Naturales concursu, dum totum naturaliter scinditur, sicq; vni cuiq; pars traditur, *l. 80. de legat. 3. d. l. hæc scriptura & d. l. si separatim de condit. & demonstrat.* quæ verò parùm in his conjunctionibus ad ius-adcrefcendi facere possunt, cum pars occupata non nisi in casibus, qui ad regulam trahuntur adcrefcant, sed sequatur heredes occupantis. Atqui partes ciuiles semper subsint. *sepe d. l. re coniuncti. vbi Goucan. in libr. animaduersion. & in tr. de iure-adcrefc. n. 7. Duar. d. loc. Zas. d. 1. intell. c. 18. Donell. 7. comm. c. 12. Coraf. in d. l. testamento. C. de impub. & al. substit. n. 7. Alciat. in d. l. re coniuncti. n. 36. Fab. 6. coniect. 1.*

XCIV. Dissentiunt Br. in *d. l. re coniuncti. n. 24. Tholozanus lib. 46. c. 11. & Dd. comm.* sed qui animaduertere debuissent ius quod vocat Imp. in *l. vnic. §. 11. C. de caduc. tollend.* ius-non-decrefcendi, respiciendo ad partes naturales, re ipsâ esse ius-adcrefcendi, quod dicimus & in illis conjunctionibus obtinere vi partium Logicarû.

XC V. Distinguunt alij inter varia legatorum genera, de quibus apud Gædd. in *d. l. triplici. 142. de V. S. Borchold. in d. §. 18. I. de legat. & VVes. ibid. n. 1.* sed qui, cum ipsi profiteantur distinctionem illam legatorum antiquam, vt & ius illi inhærens, per *d. l. vnic. §. vbi 11. C. de caduc. toll. §. 1. I. de legat. l. 1. C. commun. de legat. cum seqq.* sublatum esse, nostris temporibus, vtrum per vindicationem, an verò per damnationem, vtrumue alio modo coniunctim aut disiunctim legatum sit, in partium constitutione parùm attendi poterit.

XC VI. In verbali conjunctione, dubium nullum subest, partes, sicuti eas testator in eodem toto exprimit, naturales ab initio fieri. *d. l. si duobus. 16. §. 2. de legat. 1.* sed vbi quoad tacitam eius voluntatem

tatem concursu non sequente, sicuti in præcedentibus partes fie-
bant ciuiles, solidum ciuilitè, relictum ab initio necessariò dici-
mus. *l. utrum cum præcedd. ff. de Rebus dub.*

XCVII. Partes eas necesse est adesse vacantes. id quod latius
traditum circa definitionem, & tradunt Br. *in l. re coniuncti. nu. 49.*

Costal. *in l. aquam. ff. quemadm. seruit. amitt.*

XCVIII. Vacant partes modis varijs. Vacat quæ pro non
scripta habetur, quod iterum quidem pluribus modis contingit,
omnes tamen hoc inducunt, vt scriptus vel tempore testamenti
non amplius vixerit, *d. l. vnic. §. cum triplici. 2. & §. in primo. 3. C. de
caduc. tollend.* vel pro viuente non fuerit habitus, *l. si in metallum. ff.
qui pro non script. l. 1. C. & l. quo loco. §. fin. ff. de heredib. instit. vel postea,
cum exstiturus speraretur, non exstiterit, d. l. vnic. §. cum triplici. vel
talis eius fuerit conditio, vt tempore testamenti ex eo capere ni-
hil potuerit, *Auth. ex amplexu. C. de Pres. Imp. Nouell. 74. §. fin. qua-
lis etiam censetur frater minor. c. exini in Clement. de verb. signif.**

XCIX. Vacat deinde portio, quæ effecta caduca. *d. l. vnic. §. pro
secundo. 4. C. de caduc. tollend.* Caduca autem dicuntur Vlpiano *libr.
Regul.* quæ iure relicta capaci, aliqua ex causa post mortem testa-
toris ab eo cadunt in fiscum. Sed quæ caducorum ratio posteriori-
bus temporibus ad hoc vt locus esse posset iuri ad crescendi, hoc
est, coniunctus fisco præferri, necessariò immutata est, de quo apud
Cuiac. *in d. l. vnic. ibidem q;* latissimè de causis caducorum. Hippo-
lyt. *Riminald. lib. 3. consil. 250. n. 2. & consil. 279. n. 145. & 155.*

C. Vacat tertio portio, quæ non adita vel repudiata est, *l. vnic.
§. in nouissimo. iuncto §. cum autem ibid. l. si ex pluribus. ff. de suis & legi-
tim.* quod quidem indubitati iuris est:

CI. Attamen vbi propter culpam vel delictum heredis pro-
prium, fiscus portionem illius vindicat, illius causa potior est con-
iuncto. *l. si Titio. 7. ff. de legat. 2. d. l. vnic. §. quæ autem. C. de caduc. toll.
l. auferitur. ff. de iure fisci. l. hereditas. C. de his quibus vt indign.* Bartol.
*in l. huiusmodi. §. si Titio de legat. 1. Duar. hic libr. 1. c. 18. Gomez. d. 1.
resol. c. 10.*

CII. Axioma aliàs generale iuris in contrarium est, quod ex-
cetips ijs, quæ indignis auferuntur & fisco applicantur, quoquo
modo pars deficiat, illa sequatur partem aditam siue occupatam.

d.l. vnic. §. quæ autem. 12. C. de caduc. toll. Vt ideoq; vtrum pars ipso iure vel ope exceptionis deficiat, parum interfit, vti & paria censentur, ipso iure non competere aliquid, vel ope exceptionis. *l. nihil interest de Regul. iur.* Duar. *hic libr. 1. c. 19.* Licet quoad posterius illud membrum dissent. Ripa *in d.l. re coniuncti. de legat. 3.* per *l. si duo patroni. ff. de iureiur. & l. hereditas. 6. C. de his quibus vt indign. & post communem Dd. scholam Hippolyt Riminald. libr. 3. consil. 244. num. 304. & 305.*

CIII. Otiosè etiam hoc nouo iure stante mouetur: vtrum is qui non admittitur ad partem, faciat partem occupatam ad impediendum ius-adcrescendi. Duar. *d. libr. 1. c. 18.* Licet & in hoc dissent. VVef. & Borchold. *in d. §. si eadem. 8. Instit. de legat. per l. 48. §. 7. & l. planè. §. 5. de legat. 1.*

CIV. Proindeq; non opus est diligenti illâ, quam exhibet Br. *in d.l. huiusmodi,* casuum, in quibus is qui non admittitur ad partem, partem faciat, enumeratione.

CV. Hinc nobile illud responsum Ioan. de Monte Sperello *consil. 23. n. 8. 9. 10. & seq.* quod filiæ dotatæ statuti iure ab agnatis à successione exclusæ, ob spem succedendi, quâ sperat se venturam agnatis deficientibus, ius-adcrescendi non competat.

CVI. De exheredatione, an illa eo casu quo controuertitur, partem faciat quæritur? sed iuxta quod idem Sperello *d. consil. 23. n. 6.* rectè respondit expectandum esse euentum litis, atq; iustè exheredatum partem minimè facere, exheredatum verò iniustè, omninò.

CVII. Speciali iure ea quæ de partibus occupatis dicta restringuntur, vt non procedant in donatione Principis ob *l. vnic. C. si liberal. imper. soc.* vbi Br. & Dd. Chassan. *de gloria mundi p. 5. consil. 24. n. 159.* Tiraq. *de nobilit. c. 37. n. 54.* Heigius *in §. fin. Instit. de donat. n. ult.*

CVIII. In adsignatione libertorum, *l. utrū. 5. ff. eo tit.* in donatione facta ex muliere secundò nubente filijs prioris matrimonij, *l. si qua. C. ad SC. Tertyl.* in parte pro qua minor post aditam hereditatem in integrum restituitur, *l. si ex contractu. de re iudic.* in parte, quæ heredi, quod non pareat voluntati defuncti, ex constitutione noua Iustiniani adimitur, *Novell. 1. c. 1. §. si quis autem non implens.* & si qui casus eiusmodi similes sunt, qui ad regulam trahi nequeunt.

CIX. Vtrum omnis coniunctio operetur ius-accrescendi aliquantulum altius repetendum? vbi certè, si magni nominis Ictis adfentirem, ius-adcrescendi reipsâ dicerem esse nullum; quibusdam vi mixtæ & reali coniunctionis ius-non-decrescendi solùm, vi verbalis verò neq; illud ius neq; ius-adcrescendi obtinere contendentibus.

CX. Quod iuxta coniunctionem mixtam statuit, Robertus arg. *d.l. unic. §. vbi autem. 11. versic. sin verò non omnes. C. de caduc. toll. & circa re coniunctos pleriq;*, attestantibus Br. *in d. l. re coniuncti. n. 21. Bolognett. n. 229. Vulteio in §. fin. Instit. de donat.*

CXI. Res verò seponenda ex eo; quod modò de partibus naturalibus & ciuilibus dictum, vt licet quoad partes naturales respicimus, non decrescere magis videatur, quoad partes ciuiles tamen, cum illæ statim initio factæ censeantur, adcrescere omnino dicamus. *d. §. si eadem. de legat. & d. l. re coniuncti.*

CXII. Mouentur per plurima: *l. si duobus. 16. pr. de legat. 1. l. uxorem. §. 1. de legat. 3. l. mulieri & Titio de condit. & demonstrat. l. planè. 34. §. si coniunctim. 9. l. huiusmodi. §. si Titio de legat. 1.* Circa quæ pleriq; summè laborant, & hodie vt maximè Gædd. *in d. l. triplici. de verb. signif.* sed altioris & ipsius horum thematum examinis sunt.

CXIII. Aliquoties dixi naturam iuris-adcrescendi hanc esse vt res rei, portio portioni, non personæ adcrescat: & vbicunque nulla coniunctio sit, nullam esse accretionem. Adde ex natura relatorum illa obtinere, vbicunq; nulla coniunctio sit in re. Coniuncti verò verbis quoad rem ipsam indubitatò disiuncti sunt. *d. l. re coniuncti & d. §. si eadem.*

CXIV. Verissimum etiam est: portionem deficientem quasi vi tacitæ vulgaris substitutionis coniuncto adcrescere: hoc verò iterum in coniunctione verbali, vbi nulla substitutio propter disiunctionem expressam, cessare:

CXV. Tertiò plurimis in locis, vbi de iure-adcrescendi tractatur, coniunctionem verbalem omitti. *d. §. si eadem. 8. l. de legat.*

CXVI. Potissima hæc argumenta sunt, quibus verbis coniunctis adcrescere negarunt Cuiacius *24. obs. c. 34.* Anton. Fab. *6. consuet. 1. & 49. error. pr. 5.* Hottom. *6. obs. c. 12.* Borchold. *in d. §. 8. sequenti Accursium in l. pen. ff. de vsufr. adcresc.*

CXVII. Non tanti verò ponderis, vt in eorum sententiam me-
pertrahant, quod verbis coniuncti, in re ipsa quoad vtilitatem te-
statoris, sicque ciuilitè disiuncti, vi præcedentium minimè dici
queant.

CXVIII. Si itaque in qualibet coniunctione ius-adcrescendi
obtinet, *d.l. vnic. §. his ita. C. de caduc. toll. & in verbali omnino ob-
tinebit, accedente infallibili fundamento d. l. 16. §. 2. de legat. 1. &
d. l. re coniuncti. 89. de legat. 3.*

CXIX. Accipit hoc Florian. Gaudunt. in ea l. re coniuncti. si in
verbis coniunctis partes non sint naturales factæ & certæ expressæ;
aliàs verò non esse ius-adcrescendi existimat per l. huiusmodi. 84.
§. pen. de legat. 1.

CXX. Cæterum cui rei & textui memini respòsum in præcedd.
At quæ esse possunt coniuncti verbis, quibus non sunt certæ partes
rei relictæ, cum in hoc à re & mixtim coniunctis propriè & genui-
nè differant.

CXXI. Petrus Besucius in *d. l. re coniuncti. n. 30. ibidemq; Crot-
tus n. 34. & Politus n. 45. Menchaca de success. creat. libr. 1. §. 10. n. 122.
versic. ex qua ratione infero & c. Duar. lib. 1. c. 10. Picardus in d. §. 8. l. de
legat. n. 114. diuersam putant causam esse vsusfructus à proprietate
per l. pen. ff. de vsufr. adcresc. quos sequitur nouissimè Ioh. del Ca-
stillo tr. de vsufructu. c. 48. n. 24.*

CXXII. Textus facilis est. Rationem verò diuersitatis affe-
runt, quod proprietate duobus æquis partibus pro indiuiso datâ,
eadem tamen res maneat; *l. rectè dicimus. 25. §. primo l. locus. 60. de
verb. signif. sed vsufructu per partes diuiso inter legatarios, diuersi
vsusfructus constituentur.*

CXXIII. Veniã dixerim tantorum virorum, ita quod statuunt
in proprietate iuxta regulam, quæ est vt verbis coniuncti & in re
ex intentione testatoris habeantur pro coniunctis, de vsufructu
negantes in casu ad regulam non quadrante. Cum illa solùm ob-
tineant in specie *d. l. huiusmodi. §. pen. de legat. 1.* hoc est, vbi apparet
relictæ nullam inter se cognationem vnquam habuisse, neq; to-
tum aliquod constituisse. Quo verò in casu illud, quod de vsufructu
ita tradidère, similiter obtinet in proprietate, iuxta ac illud dixi-
mus lati⁹ supra. Summatim tradunt illi ita de vsufructu, quod Gau-
dunt.

dunt. modò tradebat de proprietate. vt ideoq; vbi nulla ratio di-
uerfa, neq; ius diuerfum statui poffit.

CXXIV. Defectus fæpe adducti §. *fi eadem. 8. Inftit. de legat. lu-*
culenter ex alijs textibus fuppleri poffet, fed de quo latius V Vef. &
pleriq; ibid. Gædd. in d. l. triplici. Fumæus de coniunctionibus. c. 6.
Duar. lib. 1. c. 10. Coftal. in l. 1. de vfufructu adcrefc. & omnium latiffi-
mè Menoch. lib. 4. præfumpt. 159. n. 7. vfg₃ ad n. 18. Cephalus lib. 1. con-
fil. 216. Graffus §. ius-accrescendi q. 9. in fin.

CXXV. Contra coniunctionem legalem in hunc locum latè
difputat Iohan. del Caftillo *d. tr. de vfufr. c. 48. n. 37. cum antecedd. &*
& feqq. fed quam verè, diximus in initio huius difquifitionis.

CXXVI. De prælatione coniunctorum hîc videndum. Et
quandoq; prouifio hominis tollat prouifionem legis, *l. 23. in fin. C.*
de ll. ac potior fit caufa ex testamento venientium, illis qui ab inte-
ftato fuccedunt, quamdiu de coniunctione hominis conftabit, le-
gis vix operari poterit. arg. l. quamdiu. 39. de Acquir. heredit. l. ante-
quam. C. commun. de fucceff. l. quamdiu de Reg. iur.

CXXVII. Inter coniunctos verò ex hominis difpofitione, in-
dubitato conditio eft potior illorum qui re & verbis fimul con-
iuncti funt. *d. l. re coniuncti. de legat. 3. vbi Br. n. 30. Duar. hîc lib. 2. c. 12.*
Vult. in §. fin. Inftit. de donat. n. 9. V Vef. in d. §. 8. Inftit. de legat. vbi
hoc quidem latius explicant.

CXXVIII. Re coniunctis folùm & verbis folùm coniunctis
concurrentibus, acrior pugna exiftit, quam triplicem recenfer
Br. in d. l. re coniuncti.

CXXIX. Et re tantum coniunctum, verbis tantum coniuncto
præferri voluit Roger. *Gloffator antiq. in d. l. re coniuncti.* Potiorem
verò huius conditionem effe Cuiac. *24. obf. 34. & 35. Duar. hîc lib. 2.*
c. 13. Borchold. in d. §. 8. de legat. Vulteiuf in §. fin. Inft. de donat.

CXXX. Placent Gomezus *tom. 1. refol. c. 10. n. 32. Gædd. in d. l.*
triplici de verb. fignific. eos æqualiter admittentes, cum & par eo-
rum ius fit, l. 66. de heredib. inftit. l. vnic. §. his ita. C. de caduc. toll. pa-
riq; ratione vterq; nitatur, & partim expreffam partim tacitam
pro fe voluntatem testatoris habeat.

CXXXI. Omnis controuerfia eft in fæpe *d. l. re coniuncti.* fed in
cuius legis integro contextu de mixtim coniuncto agitur, & pri-
mum

mum regula proponitur generalis: re & verbis simul coniunctum semper præferri; deinde confirmatur quod & re coniunctus ita coniuncto non sit potior; illustratur tertio quæstione, an etiam verbis tantum coniuncto præferatur, ad quam respondet ICtus, & hic ipsum coniunctum præferri. quod certè de mixtîm coniuncto intelligendum, is enim regulariter ita vocatur, deq; eo hætenus apud ICtum fuit quæsitum.

CXXXII. Obtinet ius-adcrescendi inter omnes, qui successionis iure simul veniunt. *l. 1. l. si ex pluribus. 9. ff. de suis & legitim. l. si duobus filiis. 12. in pr. de honor. possess. contra tab. l. 2. ff. de Acquir. heredit. Br. in d. l. re coniuncti. n. 17. Ias. in d. l. univ. C. qn. non pet. part. n. 12.*

CXXXIII. Quod quidem in causa testamenti extra dubium est: circa causam verò intestati plurima mouentur.

CXXXIV. Mihi certissimum: quod vti successio, ita etiam deferatur ius-adcrescendi. Neq; enim quod ex iuris ratione constitutum est, contra illam interpretari debet. *Duar. hic lib. 2. c. 10.*

CXXXV. Patruorum & patruelium concurrentium in portione deficiente patrum causa æqualis, atqui horum potior est in vacante portione patruelis. *Auth. cessante. C. de legit. heredib. Br. in d. l. re coniuncti. n. 16. Duar. lib. 2. c. 10.*

CXXXVI. Et potior est causa fratris vtrinq; coniuncti, concurrentibus ab vno latere solùm coniunctis. *d. Auth. cessante. & Nouell. 118. c. 3. in pr. Nouell. 84. c. 1. §. sed hodie Instit. de Adopt. gl. in Auth. itaq; verb. utroq; parente. C. commun. de success. Licet dissent. Gomez. d. l. resolut. c. 10. n. 31. & Duar. hic lib. 2. c. 10. ad fin.*

CXXXVII. Neq; verò solùm hoc ius-adcrescendi obtinet inter heredes & collegatarios, sed etiam inter illos & illorum heredes iuxta ac inquit Martianus: *& licet deceaserint antequam adcrederet, hoc ius ad heredem eorum pertinet d. l. si ex pluribus. de suis & legitimis heredib.*

CXXXVIII. Quod in tantum admittunt Dd. vt licet in hoc diuersa sit causa heredis instituti & substituti: *ead. l. 9. Ioh. de Monte Sperello consil. 24. nu. 7.* attamen velint ius-adcrescendi facere substitutionem pupillarem, cum eo vnitam, pariter transmissibilem ad heredem substituti, atq; ita in foro esse receptum. *Hippolyt. Riminald. lib. 7. consil. 617. n. 1. & consil. 638. n. 3.* Quod si ita est; vbi
de præ-

de præiudicio tertij tractatur, saltem non recipio. post tradita ab eod. Riminaldo *consil.* 781. n. 86.

CXXXIX. Vti quoq; quod de transmissione dictum, obtinet cum casus viuento illo, qui transmittere dicitur, obuenerit. qualem exhibet & ei simul contrarium Ioh. de Monte Sporello *consil.* 24. n. 4. 5. 6. & *ferè per tot.*

CXL. Cessat eadem transmissio in usufructu, qui per mortem usufructuarij regulariter extinguitur, & non rei sed personæ adcrefcit. *l. interdum de usufr. adcrefc. l. 41. §. 1. d. exc. rei indic. Br. in d. l. re coniuncti. n. 25.*

CXLI. Nunquam probare potui sententiam Accursij, ac eorum, qui heredem particularem instar legatarij haberi volunt: neq; placet resolutio Bartoli, quâ tuetur Accursium, quando alius vniuersaliter institutus hereditatem adierit, quando verò non adierit, tum propter spem iuris-adcrefcendi, heredem etiam particularem sapere naturam heredis vniuersalis.

CXLII. Placent tamen, cum ius-adcrefcendi inter vniuersalem & particularem heredem esse admittunt post Iohan. de Monte Sporello *d. consil.* 24. n. 5. & 6. *consil.* 100. n. 1. & *consil.* 120. num. 11. & 12. Iohan. Cæler. *in c. 1. conclus. 2. de testam.*

CXLIII. Sed quod iterum restringunt: cum heres in re certa institutus habuerit adhuc alium coheredem vniuersalem. per *l. 1. §. si ex fundo. l. quotiens. 9. §. si duo. 13. ff. & l. quotiens. C. de heredib. instit. gl. in l. si quis prior. ad SC. Trebell.*

CXLIV. Hoc controuersum memini: testator executores testamento dederat plures, vnus prouinciam oblatam recusarat, cæteri quidem & eam in se receperant, lucrum verò quod à testatore illi deficienti relictum erat, petebant heredes? & pro hisce contra ius-adcrefcendi, & contra illos pronunciabatur. Me iudice, cum officium illud nudi ministerij sit, verè. arg. *l. qui heredi princ. ff. de condit. & demonstrat. Bartol. in l. si stipulatus fuerim illud aut. ff. de verb. obligat. l. id quod pauperibus. C. de Episcop. & Cleric. vbi Cynus c. fin. de testib. in 6. Valasc. decis. 46. Beneuenut. Stracha tr. de adiecto part. 3. n. 94. Cæler. in c. 2. princip. de testam. in 6.*

CXLV. De singulari successore res magis dubia videtur: Atqui ius-adcrefcendi vt plurimum se fundat in rei coniunctione & simi-

D

litudine

litudine alluionis, ita vt rei potiùs quàm personæ adherere dica-
tur. *l. si Titio, ff. de usufr. dictum supra.*

CXLVI. Ad emptorem itaq; hereditatis non ad creditorem
pars vacans transibit, licet hic onera & incommodum, quod em-
ptorem sibi emere noluisse verisimile est, retineat. *l. 2. in pr. ff. de he-
redit. vendit. l. totam. ff. de Acquir. heredit. l. scriptura. §. 1. de condit. &
demonstrat. Duar. hic lib. 2. c. 6. & 19. Iason. in d. l. vnic. C. quand. non per.
part. n. 20. Robert. 3. anim. 19.*

CXLVII. Atq; ita explicanda voluntas coniungentis, vt sua-
dente hoc iuris-adcrecendi natura magis respiciat hereditatem
quàm heredem. tradit exemplo & specie facti notabili latius Ioh.
de Monte Sporello *consil. 103. n. 1. & 2.* Dissentiunt verò Gomez. *1. re-
solut. c. 10. n. vlt.* Bartol. *in d. l. re coniuncti. nu. 25. cum seqq.* Cuiac. *12.
observat. c. 13.*

CXLVIII. Veniunt iure-adcrecendi res omnes naturâ suâ di-
uiduæ & partes recipientes, dummodo per modum successions
obueniant.

CXLIX. Ideoq; cum naturâ suâ diuiduus sit, *l. 5. de usufr. l. 14.
quib. mod. usufr. l. 81. ad leg. Falcid. l. 6. §. si ades. ff. de seruit. vend. l. 7. §.
cum de usufr. ff. commun. diuid.* Hottom. *ill. q. 20. & 21.* Gæd. *de con-
trah. stipul. c. 6. n. 299. & usufructus. tot. tit. ff. de usufr. adcrec. gl. &
Dd. in l. dominus usufructuario. ff. de usufr.*

CL. Quod de feudo verò planè & per omnia post Aluarott. *in
c. 1. §. & quia n. 15. chart. 7. pag. 2. l. f. 1. nego.*

CLI. De nouo, per *clar. text. 1. feudor. 1. versic. sin autem & c. fin.
de feud. March.* Etiam si pactum de successione expressè sit appo-
situm. fieret enim tunc successio non virtute iuris-adcrecendi,
sed virtute pacti.

CLII. De veteri. quia qui ad illud, pariter ex pacto primi ad-
quirentis veniunt; *1. feud. 8.* ius-adcrecendi verò solùm obtinet in
materia successions & vltimarum voluntatum.

CLIII. Et miror Dd. (quod tamen omnes statuunt) quod cum
in feudis testamentariam dispositionem non obtinere videant,
feudalem successionem dicant legitimam.

CLIV. Sed testatur Vasallus de feudo nouo cum domini vo-
luntate? Iterum dico, quod ex pacto speciali fit, iuri-adcrecendi
non posse attribui. 155. Here-

CLV. Hereditaria verò feuda, vt feuda recta & propria manent, mihi nulla sunt.

CLVI. Sit etiam, ex Imperiali liberalitate feudum ad aliquem peruenisse? Certum est quæ ei rei debentur specialiter, *tit. C. si liberal. imper. non hab. soc.* iniuriâ trahi ad consequentiam.

CLVII. Dissidentes qui quærit, consulat, eosq; variè & singulos ferè diuersimodè in hoc laborantes, Hartman. Pistor. q. 13. Schrader. *tr. feud. p. 7. in pr. & c. 1. per discurs.* Eguin. Baron. *in §. si eadem. 8. Instit. de legat.* Zas. *in octau. part. tr. feudal. n. 52.* Vult. *1. de feud. c. 6. n. 119.* Gail. *2. de p. p. c. 14. n. 15.*

CLVIII. Simile de Emphyteus. iudicium esto. quod successio, si quæ eius est, omnis similiter debeat pactis eum contractum inuestientibus; siue vt ipse Baldus ait *in commentar. 1. feud. 1. prudentiæ contrahentium. arg. l. tale pactum. §. fin. ff. de pact.*

CLIX. Qui vero *ibid. & in Auth. si quas ruinas. C. de SS. Eccles. & in l. 2. C. de iure Emphyteutic. cum Iason. in d. l. unic. C. quand. non pet. part. n. 42.* Br. *d. loco. Clar. 4. sent. §. Emphyteus. q. 79.* Vigel. *decis. iur. controuerf. centur. 2. q. 38.* in hoc, & hi variè, dissentit.

CLX. Regnum duo fratres communiter possident, alter sine herede decedit? Res pro ratione & circumstantijs obuientibus satis dubia: regulariter verò simul cum superstite admitterem omnes qui æquè ac ille prædefunctum tangunt. *Auth. cessante. C. de suis & legitim.* Neque subest ratio vt à iure communi digrediamur, vbi specialia non dabuntur in contrarium. v. Tiraquel. *de iur. primogen. q. 20.*

CLXI. Otiosè videtur hîc quæsitum à Baldo *in d. l. unic. C. quand. non pet. part.* de seruitutibus præter vsumfructum cæteris de quo *in l. aquam. 16. ff. quemadm. seruit. amitt.*

CLXII. Verè Seneca *lib. 2. de benefic.* factum eius improbat, qui non magni æstimat quod offertur, & accipit fastidiosè, tanquam qui dicat, non mihi opus est, sed quia tam valdè vis, faciam tibi mei potestatem; & alibi: de potentibus loquens, nihil referre ait, vtrum dare eis aliquid nolis, an accipere ab eis, & eos in æquo vtramq; ponere repulsam.

CLXIII. Honestum itaq; non est, libertatem cuiusquam spernere, quæ accipienti non noceret, tum maximè fauendum supre-

memorientium voluntati, qui post fatum extare volunt monu-
mentum aliquod suæ benignitatis. *l. 1. C. de SS. Eccles.*

CLXIV. Hinc quæsitum, vtrum etiam inuitis, & cum onere, ac
quatenus, partis vacantis dominium nobis adiiciatur.

CLXV. De vtroq; videndum. Et quoad primum: distinguunt
pleriq; inter heredem & legatarium, *l. si cui res. 60. de legat. 2.* resq;
vel solas vel plures, ita vt si heres in diuersis partibus fuerit institu-
tus, non possit partem retinere & aliam repudiare. *l. 7. de Reg. iur.*
l. 80. de Acquir. heredit. secus fit in legatario, cui plures partes fue-
rint relictæ. *l. 5. de legat. 2.*

CLXVI. Quod si totum integrale relictum sit, nemo dubitat,
illud vel planè retinendum, vel planè repudiandum esse. *l. nemi-
nem. 4. de legat. 2.* Bartol. *in d. l. re coniuncti n. 51. cum duob. seqq.* Go-
mez. *lib. 1. resoluit. c. 10. n. 42.* Ias. *in d. l. vnic. C. quand. non pet. part.* Duar.
hic lib. 1. c. 2. n. 3.

CLXVII. Noti iam iuris est, partem vacantem, tanquam allu-
uionem quandam sequi partem occupatam, & voluntatem tum
hominis tum legis, quæ vult vt totum, hereditas scil. legatumue,
non disiungatur. Ias. *in d. l. vnic. C. qn. non pet. part. nu. 12. 41. & seq.*
Duar. *hic lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 1.* Gomez. *d. c. 10. n. 27. & 28.*

CLXVIII. Mihi proinde concurrentibus collegatarijs aut co-
heredibus, inter quos ius-adcrescendi propriè locum habere di-
citur, nulla distinctio est inter coniunctos, nulla inter ius-adcre-
scendi & ius-non-decrescendi, sed quod quoquo modo euacua-
tum etiam nolentibus, si suas portiones iam agnouerint, ipso iure
adcrescit. *d. l. vnic. §. 10. C. de caduc. toll.*

CLXIX. Licet in hoc diff. Gomez. *1. resol. c. 10. n. 42.* Duar. *hic
lib. 1. c. 3.* post plures supra relatos & Bartolum *in l. legatarius. ff. de le-
gat. 1.* Qui verò, fateor, mihi non constat, quâ ratione iterum di-
stinguat inter portionem deficientem de iure communi & vacan-
tem antequam heres adierit partem suam per *l. si duo necessary. 38. de
acquir. heredit.* & illam quæ tempore aditionis non repudiata sit,
sed postea vacare ceperit. *l. cum hereditat. 55. ff. eod.*

CLXX. Hoc verissimum ab hereditate semel adita nemini li-
cere recedere. *l. vlt. C. de iure delib.* Atqui in eo illi consentimus, si
deficiat pars per speciale beneficium restitutionis in integrum. *l. si
minor.*

minor. ff. eod. Neq; enim illa obtinet in præiudicium tertij, *l. cum fili-
lius. ff. de testam. milit. l. nec auus. C. de Emancipat. liber.* Angel. *in d. l.
unic. C. qn. non petent. part.* saltem nî minor dolo heredis ad adeun-
dum fuerit inductus. Bartol. *in l. qui res. 89. ff. de solut.*

CLXXI. Cum onere, puta legati vel fideicommissi, in heredi-
tatibus vniuersalibus ad crescere, indubitati iuris est. *d. l. unic. §. his
ita. C. de caduc. toll. Br. in d. l. re coniuñti. n. 54. Gomez. d. c. 10. num. 43.
Duar. lib. 2. c. 2.*

CLXXII. Contrarium obtinet in emptore hereditatis; neq;
enim præsumitur emere velle incommodum. *l. 2. C. de heredit. vel
act. vendit.*

CLXXIII. Vtrum verò ita indistinctè obtineat in successioni-
bus particularibus, potissimùm titulo lucroso obuientibus,
non parùm ambigo.

CLXXIV. In legatis particularibus inter portionem quæ pro
non scripta habita, & caducam, ipse Imp. *in d. l. unic. §. in primo. 3. &
§. pro secundo. vbi & gl. distinguit.*

CLXXV. Planè non placent, cùm indistinctè illud restrin-
gant ad re coniuñtos, per *eand. l. unic. §. vbi autem. 11. versic. sin autem
ad deficientes.* Textus enim non de onere quod rei sed personæ in-
hæret disposuisse videtur, de quo etiam loquitur *in §. ne autem. 9.
ibid. preced.*

CLXXVI. Quid in portione hereditatis, quæ pro non scripta
habetur? v. *Duar. hic d. c. 2. lib. 7.*

CLXXVII. Introductum est ius-adcrescendi, vt partim vlti-
mæ testantium voluntates, partim legis voluntas & autoritas con-
seruetur, de quo supra.

CLXXVIII. Versatur itaq; potissimum circa materiam suc-
cessionum, ita vt in successione testamentaria tacita testatoris vo-
luntas, *l. 7. de Regul. iur.* quæq; ad se trahit causam intestati, *l. 1. §. si
ex fundo de heredib. instit. & in legitima, ab intestato quæ venit, legis
autoritas accretionem illam vt plurimum suadeat. d. l. unic. §. 10. C.
de caduc. toll. & l. 9. de suis & legitim.*

CLXXIX. Vbicunq; verò ratio ea cessabit, neq; ius-adcre-
scendi obtinebit.

CLXXX. Ideoq; non in testamento militari, miles quippe

pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest. l. 6. l. 37. ff. de testam. milit. & l. 1. & 2. C. eod. Secus est, si ipse potius iure communi, quam militari uti voluerit. l. 3. C. d. tit.

CLXXXI. Non in testamento natiuitate posthumi rupto. Quippe illud propter præteritionem planè corrui. *Auth. ex causa. C. de liber. præterit. Nou. 115. c. 2.* Frustra verò quæris, an ius-adcre-scendi habeat locum in testamento quod non est. Tùm ius-adcre-scendi est sequela quædam institutionis, quæ per natiuitatem post-humi hîc indubitato corrui.

CLXXXII. An vi clausulæ codicillaris contrarium dicendum sit, videbimus. Ea namq; efficit vt voluntas testatoris sustineatur iure fideicommissi ab intestato. l. 3. §. 1. l. conficiuntur. ff. de iure codi-cill. l. 12. §. 1. ff. de iniust. rupt. Anton. Fab. decad. 20. error. 8. Clar. in §. testamento. q. 46. versic. & hæc conclusio & q. 53. cum seq.

CLXXXIII. De donatione mortis causa quæsitum memini? stat affirmatiua & vi illius propter exæquationem, quæ inter ean-dem & voluntates vltimas est, iuri-adcre-scendi locum esse. §. mor-tis causa Instit. de donat. l. vlt. C. de donat. caus. mort. l. vnic. §. 14. C. de ca-duc. toll. Gomez. d. c. 10. Duar. hic lib. 1. c. 16. & lib. 2. c. 14.

CLXXXIV. Cæterùm in donatione inter viuos, præterquam in casibus supra exceptis, planè diuersa ratio est, quamuis dissen-tiant in hoc Bartol. in d. l. re coniuncti n. 65. Gomez. d. c. 10. n. 3. & 4.

CLXXXV. Et ea etiam, vbi & hominis voluntas & legis præ-dicta auctoritas cessat, in contractibus. Ias. in d. l. vnic. C. qn. non pet. part. n. 12. Duar. hic lib. 1. c. 15.

CLXXXVI. Dissentiunt Bartol. in d. l. re coniuncti. n. 65. Go-mez. d. c. 10. n. 1. 2. 3. 4. & ibid. Emanuel Soarez. in addit. num. 1. & 2. Costal. in l. fundus ille. ff. de contrah. empr. Anchar. lib. 1. qq. iur. q. 38. nu. 1. & seqq. per l. 5. ff. commun. prædior. l. fundus ille. 64. ff. de contrah. empr. l. eandem rem. 9. in pr. ff. de vsufr. adcre-sc. Verùm circa quos tex-tus qui ita sentiunt iniuriã iuri-adcre-scendi adscribunt, quod par-tim rei naturæ indiuiduæ, partim superuacua adiectioni, partim adiuncto rei, quod transit cum subiecto, partim vltimæ voluntati acceptum ferendum.

CLXXXVII. Effectus iuris-adcre-scendi est in dominij adie-ctione. arg. §. fin. Instit. de donat. d. l. vnic. §. 10. C. de caduc. tollend. Duar.

Duar. *hic lib. 2. c. 3.* quare etiam supra modus dominij acquirendi definitum est.

CLXXXVIII. Id quod ipso iure fieri verè dicit Goueanus *hoc tr. n. 1.* & absq; noua petitione Bartol. *in l. 2. §. si duo. ff. de bonor. poss.* Ac ita fit, vt inter duos partim vacantē simpliciter, inter plures autem pro quota partis occupatæ, ac pro ea etiã onera diuidat ac adijciat. *l. mortuo boue. §. ult. de legat. 2. l. Lucius Titius. ff. ad leg. Falcid. Francus part. 1. decis. 149. n. 11. & 15. Crau. consil. 200. n. 1. Grassus §. ius adcrescendi q. 30. & §. institutio q. 21. Ioh. Baptist. Costa tr. de quota ac rata q. 49. per tot.*

CLXXXIX. Circa confinia iuris-adcrescendi vtrum substitutionis, vtrum verò illius causa potior sit, acriter Interpretes nostri concertant? quam litem quidem meam facere nolo. Attamen quandoq; expressa voluntas testatoris faciat cessare tacitam, *l. 1. l. quidem testamento. ff. de vulg. & pup. lex etiam substitutum coniuncto præferri velit, l. 2. §. si duo. ff. de bonor. poss. secund. tab. Auth. hoc amplius. C. de fideicommiss. d. l. vnic. §. pro secundo. C. de caduc. tollend. quin illius causa potior sit, mihi dubium nullum est.*

CXC. Quod latius tradunt Bartol. *ad d. l. re coniuncti n. 33. Gomez. tom. 1. var. resolut. c. 10. n. 36. Ias. in d. l. vnic. C. quand. non pet. part. n. 27. Vult. in §. fin. Instit. de donat. n. 10.*

CXCI. In contrarium Hippolytus Riminaldus *lib. 3. consil. 270. n. 76. & 77. consil. 279. n. 204. & consil. 244. nu. 34.* ac Dionys. Gottofred. *in not. ad l. 30. de vulgar. & pupill.* per illum textum. sed qui textus loquitur in casu, vbi substitutionis conditio in tertio gradu scriptis heredibus non euenit.

CXCII. Atqui cum ita videatur testator solùm voluisse cessare ius-adcrescendi inter coniunctos, quoad substitutio subsisteret, facilis est conclusio, quid dicendum in quæstione: cum repudiante instituto & substitutus repudiet, an videl. portio repudiata ad testatorem ipsum, an verò ad coniunctum, vel ad venientes ab intestato pertineat.

CXCIII. Mirum auditu, dicere velle substitutionem inutiliter factam, (quandoq; ipsa cesset) suo vitio impedire ius-adcrescendi: sed de quo latius Duar. *hoc tr. lib. 2. c. 16.*

CXCIV. Quod verò de substitutione expressa diximus, multò magis

magis obtinebit in pupillari tacita, quæ inest vulgari expressæ; si-
quidem illa exercetur in partibus occupatis.

CXC V. E contrario meo, iudicio de tacita substitutione vul-
gari, quæ inest expressæ pupillari, illud indistinctè non procedit.
licet hoc velint Bartol. Gomez. Ias. *dd. locis. Duar. lib. 2. c. 10. per l.*
fin. C. de heredib. instit.

CXC VI. Substitutio namq; vulgaris tacita quæ pupillari in-
est, non minus ex legis dispositione tacita, & coniecturata defun-
cti mente proficiscitur, *l. iam hoc iure. ff. de vulgar. & pupill. l. quamvis*
in verb. porrig. C. de impub. & al. substit. quàm hoc nostrum præfens
ius-adcrescendi. l. si in testamento in fin. ff. de vulgar. & pupill. & l. si Ti-
tio & Mauius 61. S. Iulianus. ff. de legat. 2.

CXC VII. Contraria iuri-adcrescendi multa sunt: Substitutio,
vti iam, aditio vel agnitio partis, vti dictum in præcedentibus, tum
ipsæ res quæ veniunt, vti de rebus ad piam causam relictis verè te-
statur Setzer. *exercitat. Iustinianear. 15. Coronide 4.*

CXC VIII. Prohibetur etiam statuto: puta statutum exclu-
dit filiam dotatam, & illa igitur ius-adcrescendi non habebit. sed
circa quod fuimus alibi.

CXC IX. Verissimum aliàs: filium non posse legitimam acce-
ptare, & reliquam hereditatem repudiare, nisi substitutum habeat
vulgarem, & portio eius grauioribus sit onerata legatis. Br. *ad l. ge-*
rit n. 23. de acquir. heredit. Cuch. tr. de legitim. rubric. legit. est quot. bon.
n. 41. ad fin. Grass. S. legitima q. 1. n. 5. Boer. decis. 24. n. 44. in fin.

CC. Proinde sicuti cæteris heredibus, & legitimam habenti,
portio deficiens adcreset. licet in hoc dissentiat Andr. Barbatia
consil. 72. n. 1. & seq.

CCI. Quæritur de portione deficiente, cui filia renunciauit?
sed in qua mihi idem ius est quod in legitima filiorum à patre ijs
debita, vno vel altero illorum deficiente, de quo ap. Duar. *hoc tr.*
lib. 2. c. 14. in fin. & Anton. Fabr. decad. 12. error. 9.

CCII. Renunciari autem iuri-adcrescendi, cum illud non per-
sonæ sed rei competat, non potest. Bartol. *in l. 1. ff. de acquir. heredit.*
circa quod latius supra.

CCIII. Vtrum testator paganus prohibere possit, ne ius-ad-
crescendi in testamento suo locum habeat, acerrimè Dd. contro-
uersantur. 204. Adfir-

CCIV. Adfirmant simpliciter Bartol. in l. quoties. §. si duo de heredibus instit. Clarus 3. sentent. §. testamentum. q. 74. Andr. Barbatia vol. 3. consil. 72. n. 3. & 14. cum seq. & fere per tot. eosq; sequuti alij communiter.

CCV. Alij addunt hanc limitationem, vt portio deficiens ad proximiorum heredem non tam ex legis voluntate ab intestato, quam ex tacita voluntate testatoris testatò, tanquam tacitè heredi institutum, deferatur. Vigl. in §. hereditas. num. 8. Instit. de hered. instit.

CCVI. Certissimi verò iuris, neminem testatum & intestatum simul decedere posse; §. heres & §. hereditas. 4. Instit. de heredib. instit. l. miles ita heredem. ff. de testam. milit. l. seruus communis. 67. ff. de acquir. heredit. l. 3. §. ult. ff. de honor. possess.

CCVII. Causam etiam testati potiore esse causâ intestati, proinde illam hanc ad se trahere; d. l. vnic. §. 10. & 11. & fere per tot. C. de caduc. tollend.

CCVIII. Placent itaq; qui voluntatem legis, voluntate hominis potiore dicunt, ac hinc istam prohibitionem superuacaneam, ita vt illâ non obstante pars vacans heredi instituto etiam in re certa, ex iuris necessitate ad crescat, Duar. hic lib. 1. c. 2. Petr. Gregor. in Syntagma. lib. 18. c. 11. nu. 15. Anton. Fab. decad. 15. error. 7. quod etiam in foro receptum testatur post plurimos illic relatos Hippolyt. Riminald. lib. 6. consil. 620. n. 29.

CCIX. Probatur textu claro l. si ita quis. 74. ff. de hered. instit. Neq; diuersa ratio est prohibitionis tacitæ & expressæ, quod voluisse videntur gl. in l. seruus communis. ff. de acquir. heredit. Dyn. in l. quotiens. §. si duo de heredib. instit. Salycet. in l. quotiens. C. eod. versic. 6. quæro. & idem ac Roman. in l. vnic. C. qn. non pet. part. Angel. Aretin. in §. hereditas Instit. de heredit. instit. Alexand. in l. si quis priore ad Trebell. Vtrobique enim ratio & autoritas legis summa est. Nouell. 22. c. 2. in pr. l. quidam in suo. 27. ff. & l. conditiones. 14. C. de condit. institut. l. 35. C. de inoffic. testam.

CCX. Video nouiter hoc tacitæ testantium voluntati quendam dedisse, autoritate l. quidem. s. C. de necess. seru. hered. l. 2. C. commun. de legat. Mantic. de coniectur. ultim. volunt. per tot. vt dixerit prohibitionem istam non quidem inducere tacitam institutionem,

E

nem,

nem, ad impediendum ius-adcrefcendi, tacito verò fideicommiſſo obſtrictum videri inſtitutum, reſtituere cætera petenti qui proximus ab inteſtato teſtatoris heres ſit.

CCXI. Verùm quidem, multa eſſe tacita fideicommiſſa, quæ ex prohibitione alienationis reſultent: atqui quæ coniectura hîc ſubefſe poteſt, vbi lex quid voluerit, expreſſe præſcripſit. quod latius declarat Anton. Faber. *14. coniecturar. c. 2.*

CCXII. Sanè in legatorio cùm ceſſet ratio prædicta, aliter eſſe videtur, verùm vbi nihilominus pars deficiens non ad proximum legitimum ſed heredem ſcriptum perueniet. *gl. in l. dominus. ff. de uſufr. Andr. Barbatia. vol. 3. conſil. 72. n. 4. quem vide.*

CCXIII. Neq; etiam obtinet ius-adcrefcendi inter ſpecies ſucceſſionum diuerſas. *l. ſed cum patrono. ff. de bonor. poſſeſ. l. 1. C. de teſtam. milit. Alciat. reſponſ. 585. n. 9. Iaſ. in l. qui plures. ff. de vulgar. & pupill. Bald. vol. 2. conſil. 9. Hippolyt. Riminald. lib. 7. conſil. 781. n. 85. & libr. 5. conſil. 476. n. 50.*

CCXIV. Teſtator legauit pluribus fundum adiectâ conditione, ne quiſquam illorum portionem ſuam alienaret; cùm alter eorum alterius portionem deficientem acquiſerit, lex illa prohibitionis vtrum adhuc obtineat, quæritur? Quod nego teſt. *l. pater. 38. §. quindecim. 5. de legat. 3.*

CCXV. Obſtare videtur *l. ſi teſtamento. ff. de vulgar. & pupill.* Vnde in contrarium inferunt Cyn. Bald. Angel. *ibid.* & Iaſ. *ad d. l. re coniuñcti. n. 3.* Sed, hîc interpretatio legis, vti odioſa, reſtringenda eſt; *l. cum quidam. ff. de liber. & poſthum.* illic quia fauor amplioris conſequendæ portionis teſtamentariæ maximus ſubefſt, plenior illa fit. *l. ultim. C. de poſthum. heredit. inſtit. Vaud. lib. 1. q. 43.*

CCXVI. Circa illud quod modò diximus & ratione rerum relictarum ius adcrefcendi ceſſare, de legatis quæ Dd. dicunt initerabilia, ideoq; de alimentis quæritur? & in illis ceſſare hoc ius adfirmat. Ripa *in d. l. re coniuñcti. num. 82. de legat. 3.* Res eget diſquiſitione.

CCXVII. Suſſeſſorium Edictum indubitato per ius-adcrefcendi impeditur. *l. 1. de ſucceſſor. edicto & d. l. triplici de verbor. ſignif. l. re coniuñcti de legat. 3.* Bald. *in l. meminimus fin. §. 3. verſic. ſucceſſionis iure. C. de legitim. heredib.* Iaſ. *in d. l. unic. nu. 24. C. qn. non pet. part.*
Angel.

Angel. Mattheac. *tr. de legat. & fideicommiss. lib. 3. c. 2. n. 31.*

CCXVIII. Quod verò iure restringunt Bald. & Ias. *ibid.* in successione quæ obtinet ex *Auth. præterea. C. unde vir. & uxor.* Neq; enim testatoris tanta voluntas est, vt possit legi contrauenire. *Nouell. 22. in pr. l. nemo. 55. de legat. 1.*

CCXIX. Transmissionis ius controuertitur, quod testatur Iason. *d. loco* neminem ante se hîc adnimauertisse?

CCXX. Distinguit Iason. *ibid. n. 26.* inter transmissionem, quæ fiat beneficio, *l. unic. C. de his qui ante apert. tabul.* & quæ fiat ex potentia fuitatis, de qua idem *in l. emancipata. C. qui admitt. ad bon. possess. nu. 6.*

CCXXI. Vt clariùs dicam: inter transmissionem naturalem, quam fuitas operatur, & inter Theodosianam & Iustinianam. de qua diuisione latè Rauchbar. *qq. Saxonicar. part. 2. q. 15.*

CCXXII. In hac vti transmissarius excludat substitutum vulgariter, in naturali verò non æquè: ius-sui-heredis enim substitutione vulgari tolli (quod etiam communiter receptum testatur Grassus *§. fuitas q. 10. n. 3.*) ita quoq; ius-adcrescendi illam impedire, naturalem verò non item. Prob. Angel. Mattheac. *tr. de legat. & fideicommiss. lib. 3. c. 2. n. 26.*

CCXXIII. Neq; enim portionem, cùm non deficiat, posse alteri adcrecere. Portio namq; non adcrecit nisi pænitus deficiat. *l. si ex pluribus de suis & legitim. l. 1. de success. edict. l. apud hostes. C. de suis & legitim. l. in suis de liber. & posthum.*

CCXXIV. Ex quo obtinero, neque substitutione expressâ ius-sui-heredis aboleri, quemcunq; transmissarium heredem coniuncto dixerò potiozem, post infinitos relatos à Rauchbar. *d. loco.* & Bartol. *in l. sed quum 6. n. 3. ff. de bonor. possess.* Bald. *in l. si fratris. 3. col. ult. circa med. C. de iure deliber.*

CCXXV. Remedia pro iure-adcrescendi competunt eadem, quibus pars vacans peteretur ab eo cui primum debetur. quod succedens in locum sequatur ius eius cui succedit. *l. si eum. §. qui iniuriar. ff. si quis caut. l. si mulier. §. primo. ff. ad Vellei.*

CCXXVI. Statuunt interpretes, Bartolus *in l. re coniuncti. n. 57. de legat. 3.* & Duar. *lib. 2. de iure-adcresc. c. 4.* illa competere quibus peteretur pars occupata, cui vacans adcrecit. Quod quidem in

ax
TK
390
successione testamentaria verum videtur: verè or verò ne subsistat
in successione planè disiunctorum, de qua in sæpe *d.l.unic. §. 10. C. de
caduc. tollend.* tum, si instituto ad cresceret portio legatarij vacans,
iuxta ac dictum sub *n. 212.*

CCXXVII. Neq; enim subrogatum tendens ad diuersa sapit
naturam eius in cuius locum subrogatur ultra quàm in quod illa
subrogatio fit. Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gl. 9. n. 8.*

CCXXVIII. Non mirum verò quod iudicium testatoris sequa-
mur, vbilex eius voluntatem, licet obscuram & tacitam, subsequi-
tur, de quo supra *in init.*

CCXXIX. Competunt itaq; pro re nata: Actio interdicti de
tabulis exhibendis contra quemcunq; eas in incommodum pe-
tentis detinentem, cum videlicet petentis intererit pro parte va-
cante tabulas exhiberi; *l. locum habet & tot. tit. ff. de tab. exhib.* Legata-
rijs & fideicommissarijs aduersus heredem, Actio ex testamento,
§. heres quoq; Instit. de obligat. quæ ex qs. contract. nasc. Rei vindicatio,
Hypothecaria, *§. nostra autem Instit. de legat. l. 1. C. commun. de legat.*
Fideicommissaria hereditatis petitio; *eo tit.* & instituto aduersus pro
herede vel possessore possidentem hereditatis petitio, *l. regulari-
ter cum l. seq. de petit. heredit.* sicq; bonorum possessoria hereditatis
petitio, *eo tit.* tum remedia præter officium iudicis alia.

CCXXX. Quorum quidem quædam non rarò concurrunt,
cumulantur verò, nisi iniuriâ, nunquam. *l. cum filius, §. varijs de le-
gat. 2.*

CCXXXI. Notandum vt maximè in quacunq; formula me-
dium concludendi, quod quidem ex causa vniuscuiusq; actionis
facilè desumet petitor: Cæterum coniunctio adeo expri-
menda, vt iudici de eius iure constare poterit. Sed
de quibus loco capaci & c.

FINIS.



Flora
nik



tentissimo Principi
o, Domino
GISMVNDQ,
IMPERII ARCHI-
ET ELECTORI,
DENBURGENSI,
CENSIVM, CLIVEN-
M, SEDINORVM, PO-
SSVBIORVM, VVAN-
SILESIA CROSNE-
INBERGENSI,

*omino suo Clementissimo
humilimè*

o. & c.

OBVS OTTO, CASPARI
TONIS *Chels* filius.

